

Wilhelm David Habermann

**Funus Peracerbum, Qvod ... Foeminæ, Theodoræ Margarethæ Schwederiæ  
Exuviis Viduus tam properatum obitum vehementissime lugens ... Dn. Joh. Ulr.  
Pauli, J.U.D. ... Christianos Decente Solennitate Hodie Apparavit, Civibus  
Academicis O. O. ... rogat : [P.P. Sub Sigillo Rectoratus D. 12. Februarii Auno  
MDCCXV.]**

Rostochii: Wepplingius, [1715]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn77455455X>


Druck Freier  Zugang





Habermann, W. D.,  
in  
Th. M. Schweder,  
uxor. J. U. Pauli.  
Rostock, 1715.
















Funus Peracerbum ;

QVOD

*Pranobilissima omnia, virtutum decore Fulgidissima*

FOEMINÆ,

**THEODORÆ  
MARGARETHÆ  
SCHWEDERIE**

Exuviis

Viduus tam properatum obitum vehementissimè lugens ;

*Pranobiliss: Ampliss. ac Consultiss.*

**DN. JOH. ULR. PAULI,**

**J.U.D.&Advocatus Fulgidissimus,**

CHRSTIANOS DECENTE SOLENNITATE

HODIE APPARAVIT,

**Civibus Academicis O.O.Honoratissimis**

indictum vult,

*Utq; illud in seipiente comitatu cohonestare haud graventur,  
Offiosissimè pariter atqve humanissimè*

rogat



**WILL. DAV. HABERMANNUS,**

Med. D. atque Prof. Publ.

**ACADEMIÆ RECTOR.**

Rostochii, Typis JOH. WEPPLINGII, SER. PR. & Ac. Typogr.





**I**qvæ, CIVES ACADEMICI O. O. HONORATISSIMI! muliebrem sexum condecorantes, vel animi vel corporis, præsertim ubi conjunctim unâ in personâ accumulata fuerint, præstantissimæ dotes, vel quæ alia eximia plerisque & plæclara videntur, à mortalitatis lege mortales eximere possent, hodiè sanè lugubri isto, quod desideratum abs me est, quodqve non sine sinceræ *supra hinc* affectu aggredior, scribendi genere ut defungerer, necesse minime foret. Aut si amantissimæ Matris, Mariti pretiosissimi, Sororum mellitissimarum, ac unicè dilecti Fratris unita suspiria, lacrymæ, ejulatus planctusqve è mortis eripere faucibus, vel condolentium Amicorum vota vitam aliquo prolongare modo valerent, hodiernum certè immaturum funus vel nunquam vel saltem non spe omnium votisque citius comitandum nobis fuisset. Ast verò, & hæc & ista, quando supremus suus cuilibet terminus imminet, inutilia esse, & vana atqve frustranea, tristis nos experientia docet. Non enim obstantibus illis omnibus, parentandum nobis est Fœminæ, in quâ, interna pariter atqve externa, à naturâ & fortunâ ac utriusqve Rectore, Deo, concessa egregia plane bona admirari datum fuit, quamqve, si revocari naturaliter in vitam posset, quotquot propinquiori eam necessitudine attingebant, essent à morte vel sanguine suo redempturi. Sed inevitabile fatum! Adeonè, quod mortis vim remoraretur, in mundo nihil est?

Imò



Imò verò nihil est ! Ut flores, florere cum incipiunt ;  
jam penè defloruerunt ; ita nos homines eopse, quo  
vivere incipimus momento, incipimus etiam mori.  
Stat immutabilis Legi vigor, quæ moriendi omnibus  
necessitatem imponit, ut in vitam ingressos egredi e  
vitâ oporteat. Equidem nonnullis tardius videmus  
suum instare supremum diem, aliis citius imminere:  
num autem hoc adversante & repugnante naturâ? vi-  
derit ita pronuncians Cicero ipse ; omninò interim o-  
mnes hæc tandem manent fata novissima, quæ nihil  
in hac mortalitate nobis certius. Utrumnam verò  
illorum, sicubi ad singulos descenditur, melius sit? in-  
quirere si vellemus, inutilis certè foret atque perversa,  
ne dicam impia stolidaque, curiositas. DEUS  
quippe, quem Auctorem vitæ veneramus, uti nasci  
nos voluit, ita mori jubet. Cui quis dicere audeat ;  
quid agis ? Illius nos nostraque gubernantem provi-  
dentiam in bonum nostrum omnia dirigere, si firmi-  
ter credimus, certum nobis itidem erit, melius esse,  
quod tardè moriuntur, quibus supremum attingere  
senium datur ; nec minus melius esse, quod juvenes  
decedunt, qui animum oblectante ætatis in flore hinc  
rapiuntur. Tantum, quod superstitibus vehemen-  
tius dolere soleat Suorum abitus, quibuscum diutius  
vitam transigere, pro amore in se invicem mutuo,  
optaverant, & pro annorum numero id non immeri-  
tò sperasse sibimet videbantur. Utinam, non hodi-  
erno exemplo id iterum iterumque doceremur ! Sed  
verò ita est. Defloruit, proh ! antequam marcesseret,  
qui præstantissimos inter numerandus fuerat, Roseti  
nostri flos. Decessit ex vitâ hac, cujus cum cineribus  
multa insignia bona unâ sepelientur, Fœmina Suis te-  
nerrime



nerimè huc usque amata, nunc nimum citò erepta,  
eaq; propter vehementius deplorata, omnium interea  
bonorum in animis haud leve sui desiderium relin-  
quens, vivum quippe, dum viveret, muliebrum vir-  
tutum exemplar. Est ea, sed an est? imò erat nuper  
quidem, nunc amplius non est, Præ-Nobilissima omni-  
umque virtutum cumulo multum exornatissima.  
THEODORA MARGARETHA SCHWEDERIA,  
Viri Prænobilissimi, Consultissimi atque Amplissimi,  
DN. JOANNIS ULRICI PAULI, J. U. D.  
Fulgidissimi & Causarum apud nos Patroni Dexterri-  
mi, dulcissima, nunc, eheu! desideratissima Conjux.  
Romanos olim fœminis, quas mortuas publicè lau-  
dari ante in usu non fuerat, cum ad liberandam à Gal-  
lorum copiis Romam aurum pretiosamque supelle-  
ctilem collocassent, istud tandem honoris attribuisse,  
ut non minus ac viri in funere laudarentur, apud Li-  
vium legere est. Ast nobis longè nobilior est causa,  
quare Christianis fœminis istum exhibeamus supre-  
mum honorem. In Christo enim dum nulla est ma-  
res inter mulieresque differentia, dum & ipsæ per  
eundem Spiritum regenerantur atque sanctificantur,  
eodem jure adoptionis gaudent, eandemque adituræ  
hæreditatem sunt: ecurr ipsis, in verâ Dei cognitione  
vivaq; in meritum Christi fide defunctis, denegare  
vellemus, quo earummet etiam memoria retineri ad-  
que posteritatem propagari potest? jubet Apostolus,  
fœmineo etiam, utut infirmiori, sexui suum conceda-  
mus honorem. Quæ igitur, quoad vixerunt, vario  
virtutum genere, omnium existimationem prome-  
ritæ laudesque præclaras consequutæ fuerunt, eas  
ipsas in morte quoque, virtutes earum concelebran-  
do,



do, honoremus, ipsa æquitas vult postulatque. Cum igitur in piè Defunctâ Nostrâ, quicquid in sui admirationem animos raperè potest, prælustri ni ore effulserit, istud ultimi honoris ex merito illi habebimus, ut publicâ parentatione vigens semperq; vivida ejusdem apud nos memoria conservetur.

Si, quæ externa sunt bona, felicitatis quidpiam cuiquam conciliare valent, felicem sanè Nostram prædicare habemus ex genere, unde originem traxerat suam. A Parentibus enim atqve Majoribus meritorum gloriâ æque ac honoris culmine illustribus, Consulari plerisque, cum primis utraq; in Pomeraniâ, dignitate suâ ætate valde fulgentibus, sanguis in illam derivatus erat. *Genitorem* venerata est Virum maximorum in Patriam nostram meritorum, Prænobilissimum, Amplissimum, Consultissimum ac Prudentissimum DN. GEORGIUM MELCHIOREM SCHWEDERUM, J. U. D. Celebratissimum, Civitatis hujus Consulem Primarium, Judicii Provincialis Assessorem Gravissimum, Statuum item Provincialium ac Civitatis Syndicum Dexterrimum, de omnibus istis functionibus cum perenni nominis gloriâ longè meritissimum, cui, ulterius vivere digno, finis Anni 1706. vivendi finem, lugente cum Familiâ Splendidissimâ univर्सâ Civitate, imponebat. *Genitricem* osculata fuit, adhuc, faxitque benignissimum Numen quam diutissimè ! superstitem, Prænobilissimam fulgidissimarumque virtutum decore maximè conspicuam Matronam, MARGARETHAM MEJERIN, quæ Nostram, hætenus quidem felicissimo partu, hac ipsa in Musarum sede enixa fuerat Aō R. S. MDCXCIII. mens. Julii die V. nunc autem infelicem semet arbi-



frans, quod tantopere amatâ Filiâ, vix quartum,  
 unum cum semestri spatio annum si addideris, æta-  
 tis lustrum superante, & simul cum eâ variâ gau-  
 dendi materiâ privatam sese cernere ipsam oportet.  
 Quod reliquam Defunctæ stirpem attinet, per Pa-  
 trem nacta fuerat *Avum*, Virum Illustrem, Ex-  
 cellentissimum ac Consultiss. DN. JOHANNEM  
 SCHWEDERUM, Jctum consummatissimum, Se-  
 reniss. Electoris Brandenburg. Aulæ & Regiminis  
 Consiliarium, Consistorii Ecclesiastici in Ducatu ulte-  
 rioris Pomeraniæ pariter atque Principatu Caminen-  
 si Præsidentem, Supremique Judiciæ Aulicæ Assessorem Pri-  
 marium, cujus meritorum memoriam nulla vel tem-  
 poris injuria vel hominum oblivio delebit. *Aviam*  
 verò, Matronam virtutibus non minus ac generis  
 Nobilitate Ornatissimam, CATHARINAM Burg-  
 hardin. *Proavus*, ex parte quidem *Avi* laudati, ipsi con-  
 tingerat Prænobiliss. Consultiss. ac Prudentiss. DN.  
 HENRICUS SCHWEDERUS, Jct<sup>9</sup> & Coslinensium  
 Consul Gravissimus. *Proavia* item virtutibus præstan-  
 tissima Fœmina, GERTRUDIS Ducherowen. Ex  
 parte *Aviæ* verò *Proavum* fuisse accepimus Nobiliss.  
 Atq; Ampliss. Virum, DN. LAURENTIUM Burg-  
 hard / Patriciæ Dignitatis Virum apud Colbergen-  
 ses ejusque Civitatis Camerarium. *Proaviam* autem  
 Nobiliss. Virtuofissimamque JUDITHAM Frederin.  
 Hinc *Abavos*, (quorum quidem nomina, cum ipsi  
 jamdudum supra omnes Titulos evecti sint, nuda  
 recensentur) numeravit, in lineâ superiori pri-  
 mum, DN. JOHANNEM SCHWEDER, Patriti-  
 um Coslineensem Nobilissimum, cujus uxor, No-  
 stræ *Abavia*, LUCIA von Schliesen / Nobiliss. Vi-  
 ri HENRICI von Schliesen / Consulis Colbergen-  
 sis



fis, & LUCIÆ Bröckerin filia. *Alterum*, DN. GE-  
ORGIUM Ducherowen / Patritium, Senatorem &  
Camerarium laudatæ Civitatis Colbergæ, cujus u-  
xor, Nostræ *Abavia*, ELISABETHA Knollen / filia  
DN. MARCI Knollen / Patricii atqve Senatoris, &  
GERTRUDIS Schröderin. In lineâ seqviori *primus*  
*Abavus* laudatur DN. SIMON Burghard / Pa-  
tritus inter Colbergenses ac Camerarius, qvi *Abavi-*  
*am* Nostræ conciliaverat Gesam Bulgrins / filiam  
DN. Bulgrin / Consul, & LUCIÆ Bröckerin.  
*Secundus Abavus* tuit DN. HERMANNUS FREDER,  
Colbergensium qvoqve Consul, qvi connubiali sibi  
vinculo junxerat Mechtilden Tesmarn / DN. JOA-  
CHIMI Tesmars / qvi etiam Colbergæ Patritiâ ac  
Senatoriâ dignitate floruit, nec non JUDITHÆ  
Dalcken filiam, quam inde pië Defuncta *Abaviam*  
suam agnovit. *Atavus* paternus exstitit DN. JO-  
HANNES SCHWEDER, Coslinensis Patritius  
ejusqve loci Senator; *Atavia*, ANNA FREDERIN,  
abs JOHANNE FREDERO, ejusdem Civitatis  
Senatore, & ANNA von Kleisten / ex Nobili Fami-  
liâ derer von Kleisten originem trahente, prognata.  
Præterimus reliqvos ab utrâqve seqviori lineâ, tan-  
tum adhuc cõmemorantes *Tertium* paternum, DN.  
JACOBUM SCHWEDER, etiam patritiâ inter Cos-  
linenses dignitate qvondam fulgentem & in Senatum  
coopratum, cum illius conjuge, ELISABETHA  
Kubachs / & ipsâ ex nobili gente oriundâ. Qvi  
heic omiffi sunt in lineâ inferiori, cognosci poterunt  
ex Programmate laudatissimi Beatæ Nostræ Paren-  
tis funeri abs B. DN. D. Grapio ante septennium scri-  
pto. Nos autem ad alteram, qvos per Matrem acce-  
perat



perat; *Matræ*; Majorum seriem progredimur, quam  
 non minori fulgore illustratam conspiciemus. *Avus*  
 quippe heic siltitur Vir Prænobiliff: Ampliff: ac Pru-  
 dentiff: DN. THEODORUS MEIER, Jctus exi-  
 mius, Senator atque Camerarius Civitatis Stralesfun-  
 densis optimè promeritus. *Avia* obvenit Nobiliff:  
 virtutibusque maximis condecoratiffima Fœmina,  
 MARGARETHA Bausowen. *Proavum* nacta fuit,  
 per Avum quidem, Virum Illustrem, Consultiff: atque  
 Excellentiff: DN. THEODORUM Meier/ Jctum  
 Consummatiff: Regium Consiliarium Provinciale  
 in Pomerania Svecicâ, Stralesfundæ Consulem, Hære-  
 ditarium in Sommerfeld / Mûcht / Neuen - Pleu/  
 & Landsdorff. *Qui Proaviam* Nostræ dederat, ma-  
 trimonio sibi copulatam, Matronam generis nobili-  
 tate & virtutum decore conspicuam, MARGARE-  
 THAM Andraen. Per Aviam verò, Virum Nobiliff:  
 & Prudentiff: DN. JOACHIMUM Bausow/Senatorem  
 Stralesfundensium Amplissimum, & ab eo *Proaviam*,  
 Piissimam Honoratiffimamqve Matronam, DORQ-  
 THEAM Michelsen / ex celebratiffima inter Pome-  
 ranos Familia oriundam. *Abavus* Defunctæ in hac li-  
 nea memoratur, ejusdem cum præcedentibus nomi-  
 nis, Vir Illustris & Juris Consultiffimus, DN. THE-  
 ODORUS Meier / J. U. D. & initio quidem Gryphis-  
 waldensium Syndicus, postea Sereniffimorum Prin-  
 cipum, DN. CAROLI, deinde & DN. ADOL-  
 PHI FRIDERICI, Ducum Mecklenburg, gl. rec.  
 Consiliarius intimæ admissionis. *Abavia* verò, Lauda-  
 tissima Matrona, ANNA Schmitersowen / quæ DN. GE-  
 ORGII Schmitersowen / Prudentiffimi quondam Sun-  
 dii Senatoris, filia fuit. Tandem & memorandus est  
*Atavus*, Reverendæ dignationis Vir DN. HERMAN-  
 NUS



NUS Mejer / Nerreithensis in' Episcopatu Mona-  
steriensi Pastor & Minister Evangelii optimè meritis,  
cum *Atavia* Nobilissima, HEMPA von Nacten / Ge-  
nerosæ stirpis derer von Nacten propagine generosa.  
Tam splendidæ Familiæ membrum fuit, àque  
tam excellentibus Progenitoribus originem derivave-  
rat in DEO beatissimè Defuncta, cujusmodi natalium  
splendori inter externa, quæ nostrâ in potestate non  
sunt, bona non postremus attribui locus solet. Et  
ipsa quoque in hoc divinæ quidem in se bonitatis ar-  
gumentum agnoscebat, tantum tamen abest ut ideò se  
aliis præferret, ut potiùs naturalem hanc nativatem  
parvi duceret, quoties spiritualis renascentiæ recor-  
dabatur. Ut enim in hanc edita lucem erat, pro-  
vida Parentum pietas statim, ut ex aqua atque Spi-  
ritu renasceretur, sicq; familiæ Christi, quam fideles  
constituunt, infereretur, curaverat. Cujus suæ re-  
generationis in recordationem nomen THEODO-  
RÆ MARGARETHÆ impositum ei voluerunt, hoc  
ipso & gratitudinem suam erga DEUM, & spem de re-  
cens nata conceptam declaraturi. Agnoscebant quip-  
pe, filiolum hanc divinum donum esse, & non imme-  
rito sperabant, eam aliquando pretiosam margaritam,  
conspicuum videlicet Familiæ suæ decus ac ornamen-  
tum, fore. Et talem semet eandem semper exhibu-  
isse, uno quasi ore, scimus, fassuri sunt, quotquot eam  
noverunt ac conversati cum illa fuere. Quî enim  
aliter? Etenim, quanto amoris affectu, quantâ sol-  
licitudine ac vigilantia, quò ad omnem honestatem  
educaretur, curaverint Parentes ejus, plurimis no-  
tum adhuc est, ceteris experientia, locupletissima  
testium, testata abundantissimè fuit. Quemadmo-  
dum reliqua omnia, quanto eunq; in pretio vanita-  
tibus hujus seculi addictis animabus habeantur, si con-  
tentio

B

centio



tentio eorum atq; comparatio cum cœlestibus fiat, nil nisi levis vapor, fumus, somnium, umbra, imò umbræ somnium sunt; ita Parentum cura in hoc quam maxime invigilaverat, ut verâ veri Dei unicuique peccatorum, quales omnes à peccatoribus progeneriti sumus, Salvatoris notitia imbueretur ac amore incenderetur tener animus, sicq; à terrenis ad cœlestia magis pertraheretur. Timorem Domini initium sapientiæ esse, divina nos oracula docent. Isto igitur imbutæ, in ceteris sui sexus virtutibus majores progressus facere, hæud poterat difficile esse. Idque eò minus, quo magis suo proprio ipsam exemplo augebat virtutibus excelsissima ac deditissima Mater. Hæc præcipuè erat, quæ cum sanguine in illam derivatos virtutis igniculos excitabat ac inflammabat, in omnibus, quæcunque ad morum probitatem pertinent, ipsam instruebat, ad decorum in omni vita constantissimè observandum manu quasi ducebat. Felicem prolem, cui tam solliciti contigere Parentes! Feliciores Parentes, quibus istius indolis contigit proles, cujus in educationem sollicitudinem curasq; suas non frustra impensas cernere datur. Nosram Defunctam quod attinet, ea sanè vel ab ipsa infantia tenerritate in eo fuit, ut, quanto majori se Parentibus suis curæ esse animadvertibat, tanto plus voluptatis indies ipsis crearet. Quasi animo dum erat, ita in virtutis via progrediebatur, ut non paucas, ætate quamvis ipsam superantes, præverteret. Utque paucis omnia dicam, omni semper nisu allaboravit, ut ne illarum, à quibus sanguinem acceperat, virtutis gloriam imminueret aut obscuraret, sed augetet indies redderetque multum illustriorem. Tantarum igitur, venusto omnemq; honestatem, pudicitiam ac verecundiam Virgines decentem indicante ex vultu emicans, vir-

tutum



entium splendor omnium oculos seriebat, & præcipue laudati supra DN. D. JOH. ULR. PAULI, Vidui, heu! nunc moestissimi, animum ita afficiebat, qui honesti erga ipsam amoris flammam conciperet. Illius igitur ætiori in consortio vivere vitamque transigere etiam atq; etiam optans ambiit ipsam, feliciterq; exambit, ut, consentientibus cum Honoratissimâ ejus Matre reliquis utriusque Propinquis, copulata ei fuerit d. 3. Septembr. Anni MDCCX. Quam jucundum, suave ac concors istud matrimonium, inde ab ejus conjunctione ad funestissimam ipsius dissolutionem, fuerit, cum in promptu sit, hic edisserere planè superfluum foret. Nihil certè felicitatis deesse illi deprehensum fuit, præter durationis diuturnitatem, siquidem constantia illius ne quidem integros ultra quadriennium quinque menses explevit. Inter innumera alia, quibus benignissimum Numen Beatam Nostram mactaverat, cœlestia beneficia princeps, post spiritualia dona, haberi meretur, quod quadruplicis, sexus fœminei, prolis Matrem eam effecerat, quantumlibet de duabus perexiguam duntaxat temporis gavisâ fuerit, & postrema morti ipsius dedit occasionem. Prima Natarum fuit ANNA ULRICA MARGARETHA, quam quidem Parentes non sibi datam, sed per decendum tantum ostensam reputare oportebat. Quæ enim d. 20. April. Anno MDCCXI. mundum hunc intraverat, insequente mox 30. ejusdem mensis die ad cœlum revocabatur. Secunda est lectissima lepidissimaque puellula, JOHANNA CATHARINA, vel ipsa hac terrissima in infantia. Genitricis suæ, quam vix vocare didicerat, imaginem vultu exactè repræsentans, quam DEUS in solatium Genitoris Aviaque servet, ac ut olim eximiarum Matris virtutum nitor in ea reniteat, faxit! Ter-



tia fuit MARGARETHA THEODORA, quæ uti  
Matris, quanquam inverfo ordine, nomina acceperat; ita fore, ut illius in gaudium succresceret, spes erat, quam verò vanam fuisse luctuosus eventus docuit, cælo eandem, anno MDCCXIV d. 5. Januar. in lucem editam, ejusdem anni m. Septembr. die 5. repetente. Novissima tandem est GERTHRUD SOPHIA, quæ ipsa tuperstes (jubeat Cælestis Pater, seros usque ad annos!) Genitrici suæ novissima attulit mortemque illius, à quâ vitam ipsa acceperat, acceleravit. Verum, de hac mortis, quam beatè Defunctam obire oportuit, occasione differentem audiemus Illustrem Medicum, DN. D. JO. ERN. SCHAPERUM, Prof. Publ. Celeberr. & F. Ctatis nostræ Seniore, Serenissimi item Ducis Mecklenburg. Archiatr. & Consiliar. Aul. Fulgidiss. qui morborum, quibus cum conflictandum Beatæ fuit, indeq; dependentis obitus historiam exactius descriptam sequentibus exhibuit:

*Ad morbum B. n. quod attinet, præter consuetâ gravidæ tædia insignem quoq; molestiam pariebant & ipsi eventus Anasarca & eruptiones pustulosa frequentes faciem quoq; obsidentes. Hæc omnia utut molesta satis essent, agra laudabili tamen ferebat patientia, nec mutare eam valebant supervenientes spasmodica contractiones, quibus pectus dolorose constringebatur, & sapius non leve imminebat suffocationis periculum. Hisce per quatuor & plures ante partum septimanas sapius cum impetu recurrentibus non parum debilitabatur agra, cum inde insuper & dies & noctes inquietas & dolorosas ageret, nisi vomitu quandoq; superveniente quidem levata non verò ab hoc malo liberata esset. Quantum igitur per statum agra gravida licebat, hisce ibatur obviam, & ordinata remedia sæpè exoptatum dabant auxilium, ast inconstans erat usq; dum puerperio & facili & felici, usq; à foetu ita & à spasmis pectoris liberata*



berata videbatur & agra jam puerpera se satis optimè seu-  
riens & ab anasarca liberari sperabat ut fieri post partum  
puerperis affolet. Sed quid sit, Lochiorum fluxus omnino  
summe necessarius inopinato & ita subito sistitur, ac si in  
utero nulla à secundinis remotis relicta vulnera sint &  
mentis inopine commotiones & inevitabiles atq; vehemen-  
tes Puerperam in Paroxysmum Epilepticum non unum con-  
jiciebant, magna non sine inquietudine sui corporis. Hicce  
miser status tunc temporis nulla admittebat remedia, &  
quancquam remittentibus Paroxysmis Epilepticis agra qui-  
eta fieret, mutata tamen epilepsia statim in gravem Ca-  
rum erat, quo in soporoso morbo ut ut remedia facilius ex-  
hiberi possent, non tamen tollere poterant Carum, sed agra  
per Carum Apoplexie proxima tandem eâ succubuit, non  
sine Mariti, Matris, Sororum, atq; Fratris luctuosissimorum  
insigni mæoris acerbitate, cum tam juvenis, & omni-  
bus sui sexus virtutibus coruscans uxor, filia, Soror, morse  
pamatura è vivis erepta sit. Erepta autem è vivis est  
superioris mensis Jan. d. 27. horâ inter 7. & 8. matut.  
Quod, etiamsi aliis, minimè tamen Defunctæ ipsi ante-  
expectatum evenit. Præfagiverat ipsi mens, teste e-  
nim Cicerone inest animis præfagitio divinitus inclu-  
sa, sicuti familiari in colloquio ex ore ejus auditum est,  
fore aliquando, ut in puerperio abhinc sit discessura,  
cui & eventus quam luctuosissimus respondit. Interea  
arripuerat ipsa exinde occasionem mortem eò fre-  
quentius meditandi, ut ne ex improvise eadem sibi  
veniret. Etenim deprehensa sapius fuit librorum de  
morte & mortalitate meditationes continentium lecti-  
one vacans. Et quemadmodum laudabilis ipsi con-  
suetudo fuit, ut, si quas precationum formulas, suo  
statui accommodatas, aut poëmata devotionem quan-  
dam spirantia alibi reperisset, ne memoria elaberentur,  
confestim describeret, prout vel omnes, queis usa  
fuit



fuit, libri cum multis aliis schedis, solebat enim curate easdem sancteque recondere ac custodire, testes sunt eruntque; ita ab aliquo tempore mente precipue agitaverat illud, ab Illustri Politico, ut fertur, Seckendorffio, cujus immortale nomen est, compositum, spiritui, devotione ac fiducia plenissimum canticum: *Wer weis/ wie nahe mir mein Ende / hingehet die Zeit / herkommt der Todt &c* ut initialem hunc ejus versum & precipue, quæ singulos versus claudunt, verba: *Mein Gott/ ich bitt durch Christi Blut/machs nur mit meinem Ende guet!* variis, quæ repertæ fuerunt, chartulis manu sua inscripserit. Ita igitur ad emigrandum se præparaverat, ut ne imparata offenderetur, cum evocanda esset, mortem non tam exspectando, quam obyiam ei eundo. Felicem animam, cui ista meditandi in hac mortalitate à mortis Domino concessa gratia est! Qui ergo de salute Defunctæ ullum alicui dubium esse posset? nisi putaverimus, DEUM, contra quam promisit, effusas in Christi nomine preces exauditurum non esse. Est potius, ut cœlestia illi, ad quæ perducta est, gaudia gratulemur, precati, ut & nos illorum participes propter Christi vulnera reddere dignetur Pater cœlestis. Sic itaq; Nostra jamjam pervenit, quorsum nos contendimus; obtinuit, quod nos anhelamus. Felicem igitur Te, O Anima Beatissima, terq; quaterq; Te, imò immortaliter felicem! Utere nunc beatitudine tua, percipe plena mensura à Deo Tibi cum omnibus electis præparata bona, fruiere, quæ impetrasti, hæreditate æternâ, æternaq; cum sanctis Angelis gaudia gaude. Nos interim, quamdiu heic versari nos jusserit vitæ mortisque Dominus, nulla Tui occupabit oblivio; sed elegantissimarum virtutum tuarum, pietatis, modestiæ, humanitatis, ac sine fuce sinceritatis, semper memores, ultimum nunc Tibi, at triste, acclamaturi sumus vale: æternùm æternùm, vale!

Tu



Tu verò, Vidue mœstissime! amissam nunc optimam  
Conjugem non inmeritò luges atque deploras, ut, qui ju-  
re lacrymas Tibi tuas vitio vertere queat, nemo sit,  
nisi ipsius naturæ naturam immutatam voluerit. Non  
enim exiguum est, sed eximium prorsus, sique citra in-  
vidiam dicere licet, rarum, quod amisisti. Desles uxore  
juvenem, probam, virtuosam, morigeram, paucis  
jucundissimam Tibi ac amatissimam desles. Verunta-  
men caveas, ne nimium affligare. Lacrymere, sed non  
immodicè. Doleas, sed sine impatientia. Tristere, at sine  
acerbitate. Lugeas, at sine obmurmuratione. Cogitan-  
dum quippe Tibi est, amisisse Te, quæ mortalis erat atq;  
amissibilis. Abiit Dilectissima Tua: verum ad DEUM Te  
magis eam diligentem abiit. Immaturum prosequeris  
funus: ast, num morti immatura, quam mori vitæ Auctor  
jussit? Decessit, tuâ opinione, ante tempus: at justo tem-  
pore, quia vocata decessit. Fac igitur, ne immodico lu-  
ctu videaris beatitudinem cœlestem amatissimæ heic tuæ  
invidere. Occubuit illa in puerperio; quare audias, velim,  
Apostolum, *Salva*, dicentem, *erit mulier per generationem*  
*liberorum, si manserit in fide ac dilectione, & sanctificatione,*  
*sum castitate.* Quæ si meditaberis, non dubito, quin mo-  
dum positurus sis tristitiæ tuæ luctuosoq; dolori. Respi-  
cienda abs Te insuper quoque sunt, quæ Tibi reliquit,  
dulcissima dulcis amoris mutui pignora, ut illa intuitus,  
pergratam quidem Genitricis memoriam recolas, attam-  
en eorum in bonum & Tibi ipsi parcas. DEUS, veræ  
consolationis fons, ipse Te Spiritu solatii impleat, faxitq;  
proles superstes infinita Tibi gaudia creet! Consoletur &  
ille in lacrymas penè diffluentem Defunctæ Matrem,  
Matronam inter nos honoratissimam, animumque illius  
tam tristi fato confectum, dixerim laceratum fermè ene-  
catumque, recreet multaq; de neptibus gaudendi mate-  
riâ refocillet. Adsit item dulcissima Sororis obitum te-  
nerimè



nerissime lugentibus Sororibus, magno virtutum fulgore corruscantibus, Fratriq; æstumatissimo: & quotquot acerbus hicce casus affligit, compensatâ jacturâ, celesti solamine gaudiq; beet.

Ad vos autem, *CIVES HONORATISSIMI!* ut revertar, chartæ me spatium monet. Sumite & ipsi ex hoc casu, Vobis quod ex usu sit. Vivite virtutum amantes, ut vestra, etiam cum abieritis, memoria bonorum in animis vivat. Viventes discite mori, ne moriamini, cum moriemini. Ne vestra Vobis juventus imponat, ut longam expectetis annorum seriem. Ne donorum, quæ desuper accepistis, præstantia longævitatem Vobis persuadeat. Mors quotidie vos expectat: ne igitur inexpectatò veniat, quotidie expectetis ipsam. Sequamini in hoc laudatissimum Defunctæ exemplum, ex eodemque discite, neque eximia dona, neque juventam floridam mortem arcere valere. Vestræ autem mortalitatis si memores vivitis, non debito, quin optimæ sceminae, mortalitati jam nunc ereptæ ossibus id postremi honoris habituri sitis, ut ad reconditorium illorum eadem comitemini: id quod Relicti, haud leve exinde solatii argumentum accepturi, quam humanissime Vos rogatos volunt. Agite proinde, quæso, & præsentia vestrâ honorificiq; comitatus frequentia, etiam in sepulchro veramâ Vobis virtutem æstimari, contestemini.


**P. P. Sub Sigillo RECTORATUS**

D. 12. Februarii Anno MDCCXV.

**Conventus adornandus est**

in Æde D. Virgini olim sacratâ


horâ I. pomeridianâ.





















tentio eorum atq; comparatio cum cœ  
nil nisi levis vapor, fumus, somnium,  
umbra somnium sunt; ita Parentum  
quam maxime invigilaverat, ut verâ v  
eique peccatorum, quales omnes à pecca  
geniti fumus, Salvatoris notitia imbueret  
incenderetur tener animus, sicq; à terr  
stia magis pertraheretur. Timorem  
tium sapientiæ esse, divina nos oracula  
igitur imbutæ, in ceteris sui lexus virtut  
progressus facere, haud poterat difficile e  
eò minus, quo magis suo proprio ipsam  
gebat virtutibus excultissima ac deditis  
Hæc præcipuè erat, quæ cum sanguine i  
vatos virtutis igniculos excitabat ac infl  
omnibus, quæcunque ad morum prob  
nent, ipsam instruebat, ad decorum in o  
stantissime observandum manu quasi du  
licem prolem, cui tam solliciti contig  
Feliciores Parentes, quibus istius indolis  
les, cujus in educationem sollicitudinem  
non frustra impensas cernere datur. No  
ctam quod attinet, ea sanè vel ab ipsa in  
ritate in eo fuit, ut, quanto majori se Parenti  
esse animadvertibat, tanto plus voluptat  
crearet. Quali animo dum erat, ita in  
progrediebatur, ut non paucas, ætate qu  
superantes, præverteret. Utque pau  
eam, omni semper nisu allaboravit, u  
â quibus sanguinem acceperat, virtutis  
minueret aut obscuraret, sed augeret in  
que multum illustriorem. Tantarum i  
sto omnemq; honestatem, pudicitiam ac  
Virgines decentem indicante ex vultu e

1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19  
W  
X  
Y  
Z

Copyright 4/1999  
VoxMaster GmbH www.voxmaster.com

VierFarbSelector Standard - Euroskala Offset

A  
B  
C  
D  
E  
F  
G  
H  
I  
J  
K  
L  
M  
N  
O  
P  
Q  
R  
S  
T  
U  
V





entum splendor omnium oculos feriebat, & præcipue  
laudati supra DN. D. JOH. ULR. PAULI, Vidui,  
heu! nunc moestissimi, animum ita afficiebat, qui  
honesti erga ipsam amoris flammam conciperet.  
Illius igitur arctiori in consortio vivere vitamque  
transigere etiam atq; etiam optans ambiit ipsam, fe-  
liciterq; exambuit, ut, consentientibus cum Honoratissi-  
mâ ejus Matre relicta, & Propinquis, copu-  
lata ei fuerit d. 3. Septembris Anno MDCCX. Quam ju-  
cundum, suave & gratum matrimonium, inde  
ab ejus copulatione, & Matrem ipsam ipsius dissolu-  
tionem, & Matrem ipsam ipsius sollicitatis deesse illi  
planè diuturnitatem,  
integros ultra  
Inter in-  
Beatam  
inceps, post  
quadruplicis;  
fecerat, quan-  
duntaxat temporis  
partem ipsius dederit occa-  
sionem, in fuit ANNA ULRICA  
MARCELLA, quam quidem Parentes non sibi  
datam, sed tantum tantum ostensam reputare  
oportebat. Natus enim d. 20. April. Anno MDCCXI,  
mundum hunc intraverat, insequente mox 30. ejus-  
dem mensis die ad cælum revocabatur. Secunda  
est lectissima lepidissimaque puellula, JOHANNA  
CATHARINA, vel ipsa hac terræ nerrima in infantia.  
Genitricis suæ, quam vix vocare didicerat, imagi-  
nem vultu exactè representans, quam DEUS in so-  
latium Genitoris Aviaque fervet, ac ut olim eximi-  
arum Matris virtutum nitor in ea reniteat, faxit! Ter-  
tia

B 2

